



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Imperator Lutherum damnat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

velabat, Socrate teste. (a) Fateretur quidem Lutherus in Papam & Ordinem Ecclesiasticum se vehementiorem quam deceat, fuisse; nec tamen in hoc quoque quiddam retractare velle, ne hoc ipso multorum insolentiae fenestram patefaciat. Ad causam suam defensionem se illud seruatoris nostri dictum sibi sumere: *Si male sum loquutus, testimonium perhibe de malo.* Et velut Imperator Theodosius olim ex hæreticis eandem ob causam conuocatis, initio statim rogauit, *Annon prisca Patres & maiores Fides unitatem & veram doctrinam seruassent; ut scilicet sua ipsorum confessione eos iugularet sic Lutherus eodem gladio ab Imperatore rumpitur fuit.* Sed quemadmodum illi (ut eisdem testantur Historici) ambiguis & contrarijs etiam responsis Theodosii interrogationem eluserunt, ne si veros illos & irreprehensibiles Pastores fuisse faterentur, eorundem doctrinam probare necesse haberent: ita Lutherus queque Patres illos & totam antiquitatem plurimum se venerari dixit, ita tamen ut errare eos posse, atque errasse non semel agnoscat. Instanti deinde Eccio, & vniuersalem Ecclesiam, cui Spiritus S. semper assistat, consensum ac infallibiles Dei promissiones videnti, Lutherum que reprehendenti quod pars & iudex esse vellet, spreto omni tam Pontificum quam Conciliorum auctoritate Lutherus respondit, iudicem se alium non recepturum quam solam S. Scripturam. Tum Eccius conuersa ad Imperatorem oratione, idem dixit quod S. Hilarius ad Constantium Imperatorem olim dixisse fertur, (b) *Nullum scilicet unquam fuisse hæreticum, qui non hæresin & blasphemias suas pro S. scriptura verbis vendidit.* Solent quippe hæretici, ut idem S. Doctor alibi dicit, *verborum celestium simplicitatem ad sensum voluntatis suae, non vero ad Decretum Veritatis accommodare.* Hæresis ex sensu, non ex scriptura nascitur: & sensus est: non verbum, quod in crimen vertitur. Et profecto res omnibus qui aderant nimis quam miranda fuit, vnum Monachum tantæ reperiri confidentiæ ac præsumptionis, ut omnibus Concilijs adeoque ipsi Ecclesiam signenta cerebri sui præferre auderet, ac solus sapere videri vellet, nec vultu ille fero alijsque gestibus animi calorem atque elationem celare poterat. Quidni ut in hoc quoque omnium qui ipsam antecesserunt, hæreticorum veligia sequeretur: qui quando inexplicabilibus laqueis inretitos se senserunt, hac potissimum ratione sese extricare atque euadere conati sunt. Tantus quidem Antiquitatis consensus, tanta tot sanctissimorum

virorum & Doctorum Ecclesiam auctoritas cor & conscientiam eius assiduis moribus rodebat. *Difficilis sane, inquit alibi, (c) res est, tot saeculorum auctoritatem conuellere, tot ac tantorum hominum iudicij se opponere.* At saepe sibi cor tremulum palpasse, & reprehendens obiecit: *Tu solus sapi? Anne hætenus errantur & errant vniuersi? Tot ne saecula in tenebris & ignorantia iacuerunt?* Sed audi dignam hominæ conclusionem, Professor, inquit, *contra eos qui tamquam fatui insensati contra me vociferantur quod contra Ecclesiam consuetudinem & omnes Patres doceam, me nihil omnia ista facere.* Et hoc quidem modo ferus hic homo & arrogans ab Eccio coram Imperatore & Principibus in summas angustias redactus, euadere tentabat: suo exemplo verissimum illud Sapientis dictum esse ostendens, *Maximam stultitiam esse sapientia persuasionem.* Totus vero hic congressus nihil aliud fuit quam quædam Eccii & Lutheri altercatio, qui in sua opinione pertinaciter persistebat, nec vlla vel ratione vel auctoritate vel traditione dimoueri se patiebatur. *Quin idem gaudere se dicebat, (Sleidano ipso testante) quod videres Euangelium suum tot turbis occasionem dedisse: quum Christus ipse prædixisset hanc Euangelij esse concitacionem, ut etiam inter cognatos & consanguineos pacis ac concordie vinculum soluat.* Imperator Carolus Lutheri contumacia offensus, post tridie ad Principum & Procerum conuentum sententiam suam propria manu scriptam misit: quam integram hoc loco inferere visum est; a Sleidano pari fide, qua Edictum eiusdem Imperatoris, quo Lutherus & doctrina eius damnantur, omisam. Sic vero habet.

IV. *Vobis constat, genus me ducere à Christianissimis Imperatoribus, à Nobili natione Germanica, à Catholicis Hispania Regibus, ab Archiducibus Austria, à Ducibus Burgundia; qui omnes Ecclesiam Romanam filii ad mortem usque fideles persisterent, semperque Catholica fidei, sacrarum Ceremoniarum, Decretorum, Ordinationum, sanctorum morum, pro honore Dei, pro fidei augmentatione, pro animarum salute, defensores fuerunt. Qui quidem facti sancti, Nobis ex institute Naturæ iure, que ipso hereditario, sanctus quas diximus Catholicas observationes quasi per manus traditas reliquerunt, ut eorum exempla sequuti viveremus, & in iis etiam moremur. Atque ita Nos, utpote qui Maiorum nostrorum veri imitatores sumus, diuina fauente gratia, tenore eodem*

H 3

a Hist. Tripar. lib. 4. cap. 10. b Lib. 2. ad Const. lib. 2. ad Trin. c Libro de abg. Miss. in Praef.

dem ad hunc usque diem viximus. Ego itaque hac de causa tueri decreui quidquid ipsi Prædecessores mei & quidquid ego ad præsens usque obseruavi: id vero præsertim & ante omnia, quod per ipsos Prædecessores meos tam in Concilio Constantiensi quam etiam in alijs decretum sancitumque est. Quoniam vero constat Fratrem vnum tantum sua quadam opinione deceptum, hallucinari, qua contra totius Christianismi sententiam est, tam eorum qui ante alio tempore Nos supra mille annos præcesserunt, quam eorum qui nunc viuunt; ex cuius quidem opinionis ostentatione vniuersum Christianum orbem in errore semper versatum esse videretur: ea propter decreui omnino regna omnia mea, Imperium, Potentatus, amicos meos, corpus & sanguinem, vitamque & animam meam exponere, ne prauum hoc inceptum proferpat vltius, propterea quod Mihi magno dedecori cederet, atque etiam Vobis, qui nobilis & maxime celebris estis Germania Natio: quibus id ad honorem, auctoritatem & prærogatiuam accessit ex priuilegio, ut præcipui iustitia obseruatores Catholicaque fidei defensores & protectores habeamur. Quod si qua nostris temporibus non solum hæresis, verum etiam hæreseos suspicio, aut vlla Christiana religionis imminutio in cordibus hominum relinqueretur, id successoribus nostris perpetua vituperationi foret. Audito itaque pertinaci responso, quod hesternæ die in nostro omnium conspectu Lutherus dedit, meam ego vobis sententiam testatam facio, poenitere me moræ, qua contra ipsum Lutherum & falsam eius doctrinam procedere distuli; eoque hominem quidquid dicturus sit, non amplius audire decreui. Mando ergo ut quam primum ex Mandati præscripto reducatur, caueatque ipse ex conditionibus in saluo conductu præscriptis, ne publicas conciones habeat, ne populum falsam doctrinam suam vltius doceat, ne denique operam vllam det ut boni quidquam vllibi excitetur, aut motus fiat. Et sicut præfatus sum, constitui me accingere ad procedendum contra eum, ut aduersus notorium hæreticum æquum est procedi: simulque à Vobis exigo ut in hac causa tamquam boni Christiani decernatis quod debetis, & ut mihi facere promisistis. Scripta hæc manu mea die XIX. Aprilis MDXXI.

V. Cæsaris hæc contra Lutherum hæreseos damnatum sententia, vt à bonis & Catholicæ religionis amantibus summo applausu excepta fuit; ita Lutherana scabie infectis murmurandi in occulto & eriminandi causam dedit; ita vt noctu passim valuis illud inferberetur: *Va terra cuius Rex puer est.* Tum etiam scedula affixa fuit, in qua singebantur CP. Equites Germani Cardinali & Archiepiscopo Moguatiño, qui per Germaniam

inter Imperii Principes Decanus est, bellum indicere: in cuius scedula sine apposita legebatur vox ipsa feditiosa Germanica *Vundtschuch!* quæ significat fedus populare, seu potius coniurationem contra superiores. Eodem tempore quo Imperator VVormatiæ contra Lutherum sententiam tulit, Sorbonæ Parisiensis Lutheri articulos Lipsiæ disputatos condemnauit, vt Cochläus restatur, qui comitiis his VVormatiensibus interfuit; Huius vero sententia sic se habet. Sollicite, inquit, per nos examinata, & maturius considerata vniuersa doctrina Lutherano adscripta nomini, & ad plenum disussa: exsecrandam illam erroribus scatere certo deprehendimus & iudicauimus, fidem potissimum contingentibus & moribus: quodque simplicis populi seductiua sit, omnibus Doctoribus iniuria, potestati Ecclesiæ & Ordini Hierarchico impie derogatiua atque in Spiritum sanctum blasphemata. Et ideo veluti Reipublica Christiana perniciosam censemus omnino exterminandam, ac palam vlticibus flammis committendam: auctorem vero ad publicam abiurationem modis omnibus legitimis compellendum, & c. Hoc modo Academia Parisiensis Lutheri doctrinam post Colon. & Louaniensem diris deuouit, quas vniuersitates oportebat in Consilium adhiberi cum de Luthero agebatur, ad has enim miser ille appellauerat, itaque in eo à nonnullis peccasse notatur Imperator, quod tam celeberrimam Academiae sententiam non prius exquirit quam Lutherum ad se vocaret, vt tanto iustiores condemnandi eum, qui ad illas ipsas antea prouocauerat, causas haberet: tum etiam quod aliunde doctos Theologos ad conuincendos Lutheri errores non accersuerit. Sententia hæc Sorbonæ Parisiensis Lutherum fere ad insaniam redegit: quam publico scripto deinde testatus est. Tum etiam in Saxonia prodigiosus fetus natus fuit, Vitulus Monachi cucullo intorti species quem alij Saxonix Minotaurum appellarunt, alij Vitulo Monachum, quo sine dubio nouum hoc Monstrum ac tot Monstrorum parens fuit portentus.

IV. Treuirensis Archiepiscopus, incendium hoc restinguere cupiens, Lutherum priuatim ad se euocatum quam humanissime admonuit, vt ab errore desisteret, ac Conciliorum decretis sententiam suam submitteret. Ille vero tergiuersatus, Constantiensis in primis Concilij decreta reiciebat, quod Ioannem Hussium condemnasset, eo quod Ecclesiam definiisset cœtum Prædestinatorum. Tum Treuirensis, omnibus remotis, priuatim